



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Vera Concilii Tridentini Historia

Contra falsam Petri Suavis Polani narrationem

Pallavicino, Sforza

Antverpiae, 1670

Argvmentvm.

urn:nbn:de:hbz:466:1-11718

HISTORIÆ CONCILII TRIDENTINI LIBER DECIMVS OCTAVVS.

ARGVMENTVM.

 Q
ONSILIA minorum Theologorum, ac postea
Patrum, de Sacrificij articulis; & quæstio ibi
excitata, An Christus seipsum in Cœna immola-
uerit. Non modica sententiarum rationumque
varietas de Calicis concessione, proposita cœtu
Cæsare postulante. Controuersia, Num Apostoli
Sacerdotij Ordinem in Cœna suscepint. Parata ad mores refor-
mandos Decreta; sed cum querimonia complurium, ob illorum
lenitatem. Abusus in Missæ sacrificio correeti. Suspiciones ob Gal-
lorum Presulum aduentum proximum. Cunctatio postulata ab
Oratoribus Gallia ac Cæsareis, Tridenti ac Rōmæ, sed non impe-
trata. Noua Decreti forma de vſu Calicis, in cœtu minimè pro-
bata, ac tandem res in Pontificem reiecta. Oratorum conuentus
à Cæsarianis coactus. Diuersæ inter eos sententiae: quædam à va-
riis Oratoribus simul Legatis significata. Sessio sexta, seu vige-
sima secunda. Sententiarum varietas. Exhibita à Syro Patriar-
cha obedientia, & in ea actione Lusitani Oratoris contestatio.
Quæ Suavis opponit tum interdicto Missæ celebranda sermone
vulgari, tum auctoritati Episcopis concessæ ad commutandas in
operibus piis extremas voluntates, tum potestati Pontificis in
legibus relaxandis, expensa. Legatorum epistola ad Pontificem de
neceſſi-

necessitate grauis emendationis, eiusque mandata. Articuli de Ordinis Sacramento minoribus Theologis propositi, & forma ipsis prescripta. Questio excitata, Num, & quo pacto Episcopi sint instituti Presbyteris superiores, iure Diuino. Studia Legatorum ad eam sponiendam, ne questio de Mansione rursus excitaretur; sed frustra. Tria ab ipsis Pontifici proposita ad rem componendam; & quodnam illi probatum. Noua contentio de loco inter Oratorem Helueticum & Bauaricum ad tempus sedata. Polonus Orator exceptus. Altempstij Legati profectio. Consilium Pontificis de Legatis addendis, sed omissum. Graue certamen super noua questione, quam diximus. Mandata à Rege Catholico Hispanis Præsulibus tradita, Sedi Apostolice propitia: & à Cæsare scripta suis Oratoribus ad morum correctionem, & coniunctionem cum Gallis. Sessio his postulantibus dies quindecim prorogata; idque prius probatum, dein improbatum Pontifici, & qua de causa: sed sero. Lotharingi Cardinalis aduentus.

CAP V T P R I M V M.

Theologorum conuentus de Missæ sacrificio. Variæ Patrum sententiae de præmittenda explicatione doctrinæ. Questio suscita-
ta, An Christus in Cœna seipsum pro nobis immolauerit.

VIGESIMO PRIMO Iulij minorum Theologorum cœtus inchoati, in quibus nec iudices nec corona locutoribus defuere. Etenim ^a inter alios cœtus, in eo primo, in quo solus Salmeron verba fecit, auditores adfuere omnes Legati, Madruccius Cardinalis, Ora-
tores Cæsarei, Gallici, ac Veneti, centum quinquaginta septem ex Patribus, centum circiter minores Theologi, & præter hos duo ferè capitum millia. Reliqui deinceps habiti sunt; omnesque conuenere in agnoscenda Missa tamquam vero noui Testamenti sacrificio. Sed dum in hanc narrationem Suavis ingreditur, in ipso lamine labitur, affirmans, in conuentu vigesimā quartā Iulij habito Georgium Ataidam Lusitani Regis Theologum dixisse, Vnicum illius dogmatis fundamentum in concordi Patrum traditione inniti, & ab eodem fuisse negatam vim probationibus, quæ deduce-
N 2 bantur

1562.

^a Diarium,
21. Iulij
1562.